

No. 393. 1327. 13. Dec.

*Markgraf Friedrich eignet der Domkirche Geldgefälle von den Brod- und Fleischbänken zu Meissen, sowie einen Stein Unschlitt von den letztern, zu Bestellung eines ewigen Lichtes.*

In nomine domini amen. Expedit res pie gestas, ne a memoria hominum excidant, scripturarum et testium recipere fulcimentum. Hinc est, quod nos Fridericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Mysnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plisnensis omnibus praesentibus et futuris notum esse volumus, recognoscendo litteras per praesentes, quod ad honorem omnipotentis dei sanctorumque patronorum Johannis evangelistae et Donati martyris, pro remedio animarum illustris principis, domini Friderici quondam marchionis Mysnensis, genitoris nostri carissimi, clarae memoriae, ceterorumque progenitorum nostrorum et nostrae, decem solidos denariorum valentes viginti grossos de mensis seu scampnis pistorum, in quibus venduntur panes, et decem solidos similiter viginti grossos solventes, de mensis seu scampnis carnificum in civitate Misna in festo sancti Donati martyris praedicti, annis singulis percipiendos utrosque, qui scilicet denarii Donatis phenninge nuncupantur, cum uno pondere sepi, quod steyn dicitur de macellis carnificum similiter annis singulis in civitate Misnensi in festo beati Martini pensionis nomine percipiendo. Hos quidem denarios cum sepo, prout hucusque habuimus, dedimus et appropriavimus, praesentibusque damus et appropriamus ecclesiae Misnensi cathedrali pro lumine perpetuo habendo in ipsa ecclesia memorata, usum et proprietatem huiusmodi pensionis pariter prout nobis competeat, ad dictam ecclesiam omnimode, ut praemittitur, transferentes, nihil iuris in praemissis nobis reservando. Et ut haec nostra donatio et appropriatio inconvulsa maneat et robur perpetuae firmitatis obtineat, praesentem litteram nostri sigilli appensione sincerissimo cum affectu fecimus communiri. Praesentibus et testibus fidelibus nostris dilectis Bertoldo de Ekstete vicedomino seniore, Theoderico nostro notario, Ottone de Kothewicz dicto aldeiant de Schoneweld militibus et quam pluribus aliis fide dignis. Datum et actum Dresden anno domini millesimo tricentesimo vicesimo septimo in die Luciae.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohl erhaltenen grossen Reitersiegel an rothseidenen Fäden.

No. 394. 1328. 27. Febr.

*B. Withego II. belehnt Johannes von Bobirschen mit drei Hufen in Cotta, an denen er 50 Mark der Gemahlin desselben als Leibgedinge anweist, und behält sich für den Fall des Verkaufs das Vorkaufsrecht vor.*

Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis et singulis, ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem in domino sempiternam. Quoniam cum tempore quod praeterit simul humanae praetereunt actiones, necesse est ergo eas, ne a memoria hominum decendant, litterarum et proborum virorum testimonio perhennari. Notum igitur esse volumus universis, quorum audientiae praesens littera fuerit devoluta, quod ad petitionem et instantiam discreti et probi viri Johannis dicti de Bobirschen